

que fere omnes aiunt, nos negamus? vtri melius? ipsi iudicabitis, postquam in singulas partes itum fuerit.

Quidquid Philosophiæ nomine vulgo circumfertur, illud Matheseos, Physicæ, Ethicæ & Metaphysicæ ambitu continetur: quibus si quis Logicam annumeret, siue instrumentalis, siue principalis partis titulo, me non habebit magnopere repugnantem, qui istas *λογομαχίας* ipse non moueam, & ab aliis motas facile alperner. Quare si hoc semel probauero, inter enumeratas partes nullam esse, cui aliquod sit in Theologia pretium, quo quidem sensu illa a nobis hic spectatur, institutum abunde opinor confecero: de mathematicis itaque primum dicamus.

§. IX.

Speciatim Matheseos intuitu.

Sane si quis sit, qui Mathematicas disciplinas faciat plurimi, me eum esse lubens profiteor, qui sæpe dicere soleam, vbi ab iis discessum est, nihil in Philosophia vsquam inueniri, in quo tuto pes ponatur: cum, si quid claritatis alibi, vel in syllogismorum figuris, vel in quibusdam Physicorum demonstrationibus illucescit, illud, quantum quantum est, Mathematicorum hypothesebus acceptum referri debeat: nos itaque Mathesin (idem enim iterum dicam) facimus plurimi, ac hæctenus tantum, si se intra Philosophiæ pomoeria contineat, nec in disciplinam nostram irrumperemoliatur: nam quæ vt Philosophica mirabamur, si vltra sortem sapiant &

re-